



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Maximiliani Sandaei E Societate Iesv Doctoris  
Theologi Architectura Christiana**

**Sandaeus, Maximilianus**

**Coloniæ Agrippinæ, 1653**

Art. I. Tectorum Parietis-Spei. Timor Domini.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46065](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46065)

*conjuncti viderentur. Nullum inter eos intercedebat connectendæ  
causæ cæmenti genus: intrinsecus ferreis vinculis (exceptis meri-  
dionalibus, ne australi vento ferrum corrumpetur)  
constringebantur. Consulatur idem Scriptor de Mensuris  
Templi Salomonici, Tomo 2. à pag. 550. Et Pineda de  
rebus Salomonis libro quinto cap. 5. nec non Tirinus in lib. Reg.  
& Paralip. ibidemque Cornelius de Lap.*



## S E R M O IV.

## I N C R U S T A T I O

*Parietis Spei.*

**C**ONSTRUCTO *Pariete, ne rudis maneat, Incrustatione or-  
nari solet: & tribus ferè coriis, seu cutibus obducitur. Prima  
parietis superficiem æquat, auferendo scabritiem; ac vocatur Pri-  
mum Tectorium, vel Crusta: altera colorem aliquem addit:  
postrema demum pictura polit. Simile quid accidit in Pariete-  
Spei.*

## ARTICULUS I.

## T E C T O R I U M

*Parietis Spei.*

## T I M O R D O M I N I.

**S**PEI Paries obducendus est, tanquam Tectorio pri-  
mo, Timore Domini, qui aufert eminentias præ-  
sumptionis, & explet inanitates pusillanimitatis.

Quarta Pars.

Ll

Cer-

Certè, à Spe non debere abesse Timorem, docet Salomon Proverbiorum iv, hoc enunciato: *In Timore Domini fiducia fortitudinis: & filiis ejus erit Spes.* Ecclesiasticus etiam cap, xi. timentes nominatim ad sperandum exhortans: *Qui timetis Dominum sperate in illum: & in oblectationem veniet vobis misericordia.* Iterum cap. xv. *Oculi Domini ad timentes eum.* Confirmat id ipsum S. Augustinus Sermone xv, ad Fratres in Erèmo, ita illos alloquens. *O Spes! tu omnia portare facis dulciter & suaviter. Eia ergo, fratres, hanc amate, hanc tenete, nō tamen sine Timore. Quia qui sperat, nō timet, negligens est: qui autē timet, & nō sperat, depressus est, & descendit in profundum, quasi lapis.* S. Bernardus quoq; Sermone vii. in Cantica, agens de osculo duorum pedum Domini, docet, Timorē Spei esse copulandum: esse autem etiam periculosum, si se jungantur. Nam *recordatio solius iudicii quæ Timorem parit, in barathrum desperationis precipitat: & misericordie fallax assentatio pessimam generat securitatem.* Immò, tam est cognatus Spei Timor, ut præclari in Architecturâ Magistri idcirco ipsum Timorem appellerint Murum. Disertè S. Chrysostomus homilia xv. ad populum: *Timor nihil est aliud quàm Murus, & munimentum, & turris inexpugnabilis. Etenim multa nobis munitionis opus est, quia multa sunt ubique insidia.* Et S. Cyrillus lib. secundo in Isaiam Prophetam: *Tenendum est, animam Dei Timore velut Muro obseptam fortem esse, & quodammodo invictam & vires eorum, qui manus cum ea conserunt, expugnata.*

## ARTICULUS II.

CRUSTA

*Parietis Spei.*

LONGANIMITAS.

**A**LTERA In crustatione obducitur Spes-Paries Longanimitate. Spes quæ differtur, affligit animam: et

omni-